Fragment Metafizyki Arystotelesa (Bekker 992 b 11 - 1000 a 12), w łacińskiem tłumaczeniu Wilhelma z Moerbeke. Pochodzi z rękopisu Nr. 325, gdzie te dwie karty stanowiły antefolium i postfolium (w starem liczbowaniu = str. 1-2 i str. 479-480). Odjęto je od tamtego rękopisu podczas jego restauracji w r. 1935.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

unum si quis dicat omnia et non sit, si non genus dat universale esse; in quibusdam impossibile. Illas autem quae post numeros longitudines latitudines soliditates neque quomodo sunt aut erunt sic neque aliquam habent virtutem; hae namque nec species possibile esse, non enim sunt numeri, nec intermedia. Sunt enim illae mathematica, nec corruptibilia, sed videtur hoc aliud genus. Et omnino quaerere existentium elementa non dividentes multipliciter dicta invenire impossibile est, et aliter secundum hunc modum quaerentes ex quibus sunt elementis. Ex quibus enim facere aut pati aut rectum non est accipere, sed si quidem substantiarum solum esse contingit. Quare quaerere existentium omnium elementa aut putare habere non est verum. Quomodo autem addiscet omnium elementa? Palam enim quia non est possibile praeexistentem cognoscentem prius. Sicut enim geometrizare discentem alia quidem oportet praescire, quorum autem est scientia de quibus debet discere non praenoscit; ita et in aliis. Quare si quae est omnium ut quidam aiunt, nihil utique praeexistens cognoscet hic. Quamvis sit omnis disciplina per cognita aut omnia aut quaedam, et per demonstrationem et per definitiones; oportet enim ex quibus est definitio praescire et esse nota. Similiter autem et quae per inductionem. At vero et si existit connaturalis, mirum quomodo latemus habentes potissimam scientiarum. Amplius autem quomodo aliquis cognoscet ex quibus est et quomodo erit manifestum? Et enim hoc habet dubitationem. Ambiget enim aliquis et quemadmodum et circa quasdam syllabas; hii namque zma ex s et m et a dicunt esse, alii vero quendam alium sonum dicunt esse et cognitorum nullum. Amplius autem quorum est sensus, haec quomodo aliquis non habens sensum cognoscet? Oportebat autem si omnium sunt elementa ex quibus quemadmodum compositae voces sunt ex propriis elementis. Quod quidem igitur dictas in physicis causas quaerere visi sunt omnes et praeter has nullam habemus dicere, palam ex prius dictis; sed tenuiter haec et modo quodam omnes prius dixerunt, modo vero quodam nullatenus. Balbucienti enim similis prima philosophia de omnibus videtur, nova existens secundum principia et primum. Quoniam et Empedocles os dicit ratione esse; hoc autem est quod erat esse et substantia rei. At vero necessarium similiter et carnis et aliorum singulorum esse rationem aut nullam; propter hoc enim et caro et os est et aliorum unumquodque et non propter materiam quam ille dicit ignem et terram et aerem et aquam. Sed hoc alio quodam dicente similiter dixisset ex necessitate, manifeste vero non dixit. De talibus quidem igitur ostensum est et prius; quaecumque vero de ipsis hiis dubitabit aliquis, redeamus iterum; nam forsan ex ipsis investigabimus aliquid ad posteriores dubitationes.

De veritate theoria sic quidem difficilis, sic vero facilis est. Signum autem est neque digne nullum adipisci ipsam posse neque omnes exorbitare, sed unumquemque aliquid de natura dicere, et secundum unum quidem nihil aut parum ei immittere, ex omnibus autem coarticulatis fieri magnitudinem aliquam. Quare si videtur habere ut proverbialiter dicimus, in foribus quis delinquet? Sic quidem utique erit facilis; habere autem totum et partem non posse difficultatem eius ostendit. Forsan autem et difficultate secundum duos modos existente, non in rebus sed in nobis est eius causa. Sicut enim nycticoracum oculi ad lucem diei se habent, sic et animae nostrae intellectus ad ea quae sunt omnium naturae manifestissima. Non solum autem hiis dicere gratiam iustum est quorum aliquis opinionibus communicaverit, sed et hiis qui adhuc superficialiter enunciaverunt; et enim hii conferunt aliquid; nam habitum nostrum praeexercitaverunt. Nam si Thimotheus non fuisset, multam melodiam non haberemus; si autem Phrynis non fuisset, Thimotheus non fuisset. Sic et de enunciantibus veritatem; a quibusdam enim accepimus opiniones quasdam, alii vero ut hii fierent causa fuerunt. Vocari vero philosophiam veritatis scientiam recte habet. Nam theoricae finis est veritas, practicae opus; etenim si quomodo se habent intendunt, non causam per se sed ad aliquid et nunc speculantur practici. Nescimus autem verum sine causa. Unumquodque vero maxime ipsum aliorum secundum quod et aliis inest univocatio, puta ignis calidissimus; etenim est causa aliis caloris. Quare et verissimum quod posterioribus est causa ut sint vera. Quapropter existentium principia semper esse verissima est necesse; non enim quandoque vera, nec illis causa aliquid est, sed illa aliis. Quare unumquodque sicut se habet ut sit, ita et ad veritatem. At vero quod sit principium quoddam et non infinitae causae existentium neque in directum neque secundum speciem palam. Nec enim ut ex materia hoc ex hoc in infinitum progredi est possibile, velut carnem quidem ex terra, terram vero ex aere, aerem ex igne, et hoc non stare. Nec unde principium motus, ut hominem ab aere moveri, et hunc a sole, solem autem a lite, et huius nullum esse finem. Similiter autem nec id cuius causa in infinitum ire est possibile, iter quidem sanitatis causa, illam vero felicitatis, et felicitatem alius, et ita semper aliud alterius causa esse. Et in quod erat esse similiter. Mediorum enim quorum est aliquid ultimum et prius necesse est quod prius est causam ipsorum esse post se. Nam si dicere nos oporteat trium quod causa, primum dicimus; non enim quod est ultimum, nullius enim causa quod finale est; sed nec medium, unius enim. Nihil enim differt aut unum aut plura, nec infinita aut finita esse. Infinitorum vero secundum istum modum et omnino infiniti partes mediae sunt similiter usque ad nunc. Quare si nullum est primum, omnino causa nulla est. At vero nec in deorsum possibile est in infinitum ire, superius habente principium, ut ex igne quidem aquam, ex hac vero terram, et ita semper aliud aliquod fieri genus. Dupliciter enim fit hoc ex hoc, non ut hoc dicitur post hoc, ut ex Ysthmiis Olimpia, sed aut ut ex puero mutato vir, aut ex aqua aer. Ut quidem igitur ex puero virum dicimus fieri, quod ex eo quod fit quod factum est, aut ex eo quod perficitur perfectum. Semper enim est medium, ut inter esse et non esse generatio, ita quod fit est medium existentis et non existentis. Est autem addiscens qui fit sciens, et hoc est quod dicitur quia fit ex addiscente sciens. Hoc vero ut ex aqua aer, corrupto altero. Propter quod illa quidem non reflectuntur ad invicem, nec fit ex viro puer; non enim fit ex generatione quod fit, sed est post generationem. Sic enim et dies ex aurora, quia post hanc; propter quod nec aurora ex die. Alia vero reflectuntur. Utrobique autem non possibile est in infinitum ire. Nam existentium intermediorum necesse est finem esse, et haec ad invicem reflectuntur; alterius enim corruptio alterius est generatio. Simul autem impossibile primum sempiternum corrumpi. Quoniam enim non est infinita generatio in sursum, necesse ex quo corrupto primo aliquid factum est non sempiternum esse. Amplius et quod cuius causa finis est, tale vero quod non alius causa, sed alia illius causa; quare si quidem fuerit tale postremum, non erit infinitum

Si vero tale non est quod tunc est. Sed qui infinitum faciunt latent auferentes boni naturam. Et nullus conabitur aliquid facere ad id non futurus venire. Nec utique est intellectus in talibus; nam propter aliquid semper facit qui intellectum habet. Hic enim terminus est, finis enim terminus est. At vero nec quod quid erat esse contingit reduci ad aliam diffinitionem multiplicatam ratione. Semper enim que ante magis est, que vero posterior non est. Cuius autem primum non est nec habitum est. Amplius scire destruunt qui ita dicunt. Non enim scire possibile prius quam ad individua perveniatur. Et cognoscere non est. Nam que sic infinita contingit intelligere? Non enim simile in linea que secundum divisiones quidem non stat, intelligere vero non est statuentem. Propter quod non enumerabit sectiones qui per infinita pertransit. Sed materiam in moto quidem intelligere necesse est; et infinito nihil est esse aut non infinitum est infinito esse. Sed si infinite essent pluralitate species causarum non esset nec ita cognoscere. Tunc enim scire putamus cum causas eius novimus. Infinitum vero secundum additionem non est pertransire in finito. Contingunt auditiones secundum consuetudines in hiis; nam ut consuevimus ita dignum ducimus dici, et que preter ea non similia videntur, sed propter inconsuetudinem minus nota et magis extranea. Nam consuetum notius. Quantum vero virtutem habet consuetum leges ostendunt, in quibus fabularia et puerilia magis quam valet cognitione de eis propter consuetudinem. Alii quidem si non mathematice quis dicat non recipiunt dicentes. Alii si non exemplariter. Alii vero testem induci dignantur poetam. Et alii quidem omnia certe, hiis vero flebilis est certitudo aut propter impotentiam complecti aut propter micrologiam. Habet enim quid certitudo tale, ut quemadmodum in symbolis et in sermonibus non liberale esse quibusdam videtur. Propter quod oportet erudiri quomodo singula sint recipienda, et absurdum querere simul scientiam et modum scientie. Est autem neutrum facile accipere. Acrilogiam vero mathematicam non in omnibus est expetendum, sed in non habentibus materiam. Propter quod non phisicus est modus. Omnis enim forsan natura materiam habet. Unde primo perscrutandum quid est natura. Ita namque et de quibus est physica manifestum erit, et si unius scientie aut plurium est causas et principia considerare.

Necesse est ad quesitam scientiam aggredi primum de quibus dubitare oportet. Hec autem sunt quecumque de ipsis aliqui aliter susceperunt, et si quid extra hoc est pretermissum. Inest autem investigare volentibus prae opere bene dubitare. Posterior enim copia investigationis solutio prius dubitatorum est. Solvere vero non est ignorantes vinculum. Sed mentis dubitatio de re demonstrat hoc. In quantum enim dubitat, in tantum et simile ligatis est passus; impossibile enim utrumque procedere ad quod est ante. Propter quod difficultates speculari oportet prius omnes, et propter hec et quia querentes sine dubitatione primo similes sunt quo oporteat ire ignorantibus, et adhuc nec si quando quesitum invenerit aut non cognoscere. Finis enim huic quidem non manifestus, precedenti vero manifestus. Amplius necesse est melius se habere ad iudicandum sicut qui audiunt velut adversariorum et dubitantium omnes rationes. Est autem dubitatio prima quidem de quibus in prohemialibus dubitavimus, utrum unius aut multarum scientiarum est causas speculari. Et utrum substantie principia prima scientie est videre solum aut et de principiis ex quibus ostendunt omnes, ut utrum contingit unum et idem simul dicere et negare aut non, et de aliis talibus. Et si circa substantiam, utrum una circa omnes aut plures sunt; et si plures, utrum omnes cognate aut harum hae quidem sapientie, ille vero aliud aliquid dicende sunt. Et hoc quidem quesitu necessarium est querere, utrum sensibiles substantie esse solum dicende sunt aut preter has alie. Et utrum unum aut plura genera substantiarum, ut qui faciunt species et mathematica intermedia ista et sensibilia. De hiis ergo ut diximus perscrutandum. Et utrum circa substantias solum est speculatio aut et circa accidentia per se substantiis. Adhuc autem de eodem et diverso, simili et dissimili et contrarietate, et priore et posteriore et aliis omnibus talibus de quibus dialectici intendunt temptare ex probabilibus solum perscrutationem facientes, quorum theorice est de omnibus. Amplius autem hiis eisdem quecumque per se accidunt, et non solum quid est unumquodque horum, sed utrum unum uni contrarium. Et utrum principia et elementa genera sunt aut in que dividitur existens singulum. Et si genera, utrum quecumque de individuis finalia aut prima, ut utrum animal aut homo principium et magis est preter singulare. Maxime vero querendum est et tractandum utrum est aliquid preter materiam causa secundum se aut non, et hoc separabile aut non, et utrum unum aut plura numero. Et simolon dico aut quorundam aut nullius, aut horum quidem sic, horum vero non, et qualia talia existentium. Amplius autem utrum principia aut numero aut specie determinata, et que in rationibus et in subiecto. Et utrum corruptibilium et incorruptibilium eadem aut diversa; et utrum incorruptibilia omnia aut corruptibilium corruptibilia. Amplius autem quod omnium difficillimum est et plurimam habens dubitationem, utrum unum aut ens quemadmodum pythagorici et plato dicebant, non alterum aliquid est sed entium substantia, aut non sed alterum aliquid subiectum, ut empedocles amorem dicit, alius autem ignem, alius aquam aut aerem. Et utrum principia universalia aut ut singularia, et potestate aut actu. Amplius utrum aliter aut secundum motum; nam et hec dubitationem prestant magnam. Adhuc autem utrum numeri et longitudines et figure et puncta substantie quedam sunt aut non, et si substantie utrum separate a sensibilibus aut inexistentes. De hiis enim omnibus non solum difficile invenire veritatem, sed nec dubitare bene ratione facile.

Primum igitur de quibus in primis diximus, utrum unius aut plurium scientiarum sit speculari omnia genera causarum. Unius enim scientie quomodo erit non contraria existentia principia cognoscere? Amplius autem multis existentibus non insunt omnibus omnia. Quo namque possibile est motus principium esse immobilibus aut boni naturam? Siquidem omne quod est bonum secundum se et propter suam naturam finis est, et ita causa quia illius causa et fiunt et sunt cetera. Finis autem et cuius causa actus alicuius est, actus autem omnes cum motu; quare in immobilibus non contingit hoc esse principium

non esse aliquid anthogaton. Unde et in mathematicis nulla fit ostensio per eam nec est demonstratio nulla eo quod melius aut deterius, sed nec omnino nullius talium aliquis recordatur. Quapropter et sophistarum quidam ut Aristippus ista pronegligebat. In aliis enim artibus et illiberalibus ut tectonica et coriaria eo quod melius aut deterius dici omnia, mathematicas vero nullam de bonis et malis facere rationem. At vero si scientiae causarum sunt plures et alia aliorum principiorum, quam harum dicendum quaesitam aut quos maxime rerum quaesitarum esse scientem eam habentium? Contingit enim eidem omnes modos causarum inesse, ut domus unde quidem motus ut ars et aedificator, cuius vero causa opus, et materia terra et lapides, species vero ratio. Ex igitur determinatis dudum quam oportet vocare scientiarum sapientiam habet rationem quamlibet appellari. Inquantum enim senior quidem et principalior et quam velut ancillas non contradicere scientias alias iustum est quae finis et boni talis est; huius enim causa cetera. Inquantum vero primarum causarum et maxime scibilis diffinita est, quae est substantiae utique erit talis. Multis enim modis idem scientibus magis quidem dicimus scire eum qui novit in ipso esse quid est res quam qui in non esse, et horum eorundem alium alio magis, et maxime qui quid est quam qui quantum aut quale aut quid facere aut pati aptum natum. Amplius autem et in aliis scire singula et quorum demonstrationes sunt tunc putamus existere cum scimus quid est, ut tetragonizare quid est quia mediae inventio. Similiter autem et in aliis. Circa generationes vero et actus et circa omnem transmutationem quando scimus principium motus. Hoc autem alterum et oppositum fini. Quare videtur alterius esse scientiae harum singulas speculari causarum. At vero et de principiis demonstrationis utrum unius scientia est aut plurium dubitabile est. Dico autem demonstrativa communes opiniones ex quibus omnes demonstrant, ut quia omne necesse aut dicere aut negare, et impossibile simul esse et non esse, et quaecumque aliae tales propositiones. Utrum harum una scientia et substantiae aut alia, et si non una, utram oportet appellare quam nunc quaerimus. Unius quidem igitur esse non rationale. Quid enim magis geometriae quam cuiuslibet de hiis est proprium obaudire? Si igitur similiter quidem cuiuslibet est, omnium vero non contingit, sicut nec aliarum ita neque ipsas substantias cognoscentis proprium de ipsis agere. Simul autem et quomodo ipsorum erit scientia? Quid enim unumquodque horum existens et nunc novimus. Utuntur igitur eis ut notis artes aliae. Si autem demonstrativa est, oportebit aliquod genus esse subiectum et haec quidem passiones illa vero dignitates eorum. Nam de omnibus esse demonstrationes impossibile est. Necesse enim ex aliquibus esse et circa aliquid et aliquorum demonstrationes. Quare accidit omnium esse genus unum aliquod demonstratorum. Omnes enim demonstrativae dignitatibus utuntur. At vero si alia quae substantiae et quae de his, quae earum prior et principalior est earum? Universalia enim maxime omnium principia dignitates; et si non est philosophi, cuius alterius erit speculari verum et falsum? Totaliter de substantiis utrum una omnium est aut plures scientiae? Siquidem igitur non una, cuiusque posita est scientia ista? Unam vero omnium esse non est rationale. Una enim demonstrativa de omnibus esset utique accidentibus. Si quidem

omnis demonstrativa circa aliquid subiectum speculatur per se accidentia ex communibus opinionibus. Circa idem ergo genus per se accidentia eiusdem est speculari ex eisdem opinionibus. Nam circa quod ipsum quod unius et ex quibus unius sive eiusdem sive alius, quare et accidentia sive ipsae speculabuntur aut ex hiis una. Amplius autem utrum circa substantias solum theoria est aut et circa ipsarum accidentia. Dico autem ut si solidum quaedam substantia est et lineae et superficies, utrum eiusdem scientiae est cognoscere et accidentia circa unumquodque genus de quibus mathematicae ostendunt aut alius. Si namque eiusdem, demonstrativa quaedam et quae substantiae erit; non autem videtur eius quod quid est demonstratio esse. Si vero diversae, quae erit speculans circa substantiam accidentia? Hoc enim reddere est valde difficile. Amplius autem utrum sensibiles substantias solum esse est dicendum aut et praeter has alias. Et utrum unum aut plura genera substantiarum, ut dicentes species et intermedia esse circa quae mathematicas dicunt esse scientias. Quomodo igitur dicimus species causas et substantias esse secundum se ipsas in primis sermonibus de ipsis dictum est. Multis autem modis habentibus difficultatem, nullo minus absurdum quam dicere esse quasdam naturas praeter eas quae sunt in caelo, has autem dicere easdem sensibilibus nisi quia hae quidem sempiternae illae vero corruptibiles. Nam ipsum hominem dicunt esse et homines et ipsum equum et sanitatem, aliud autem nihil, simile facientes dicentibus deos esse, humanae vero speciei esse. Nec enim illi fecerunt quam homines sempiternos, nec hii species nisi sensibiles sempiternas. Amplius autem si aliquis praeter species et sensibilia intermedia ponat, multas habebit dubitationes. Palam enim quia similiter lineae praeter ipsas et sensibiles erunt et unumquodque aliorum generum. Quare quoniam astrologia harum est una, erit quoddam caelum et luna et sol et alia caelestia similiter. Et quomodo hiis oportet credere? Nec enim immobile rationale esse, moveri vero omnino impossibile. Similiter autem et de quibus perspectiva et quae in mathematicis armonica; et haec enim impossibile esse praeter sensibilia propter easdem causas. Nam si sunt sensibilia intermedia et sensus, palam quia et animalia erunt intermedia ipsorumque et corruptibilium. Dubitabit autem aliquis et circa quae existentium oportet quaerere has scientias. Nam si in hoc differt geometria a geodesia solum quia haec quidem horum est quae sentimus, illa vero non sensibilium, palam quia et praeter medicinalem aliqua erit scientia et praeter unamquamque aliarum media ipsius medicinalis et hanc medicinalem. Sed quomodo hoc possibile? Et enim sana quaedam utique erunt praeter sensibilia et ipsum sanum. Simul autem neque hoc verum quia geodesia sensibilium est magnitudinum et corruptibilium; corrumperetur enim utique corruptis. At vero nec sensibilium erit magnitudinum nec circa caelum haec astrologia. Nec enim sensibiles lineae tales sunt quales dicit geometer. Nullum enim sensibilium ita rectum nec rotundum; tangit enim circulum non secundum punctum regula, sed ut Pythagoras arguebat geometras. Nec motus nec revolutiones caeli similes de quibus astrologia facit sermones, nec astra puncta naturam habent eandem. Sunt autem alii qui dicunt quidem esse intermedia haec inter species et sensibilia, non tamen extra sensibilia sed in hiis; quibus accidentia impossibilia omnia quae plurimis est sermonibus percurrere. Sufficit autem et talia speculari. Non enim in talibus rationale est hoc sic solum habere, sed palam quia et species contingit in sensibilibus esse; eiusdem enim rationis utraque haec sunt. Amplius autem duo solidi

in eodem loco utrumque esse et non esse immobilia in motis existencia sensibilibus. Totaliter autem cuius causa quis ponet utique esse quidem esse autem in sensibilibus? Eadem enim contingent irrationabilia eis que predicta sunt. Erit enim celum preter celum, tamen non separatum sed in eodem loco, quod magis est impossibile. De hiis ergo dubitatio multa quomodo oportet ponentem habere veritatem. Et de principiis utrum oportet genera et elementa et principia suscipere aut magis prius existentia inesse unumquodque. Ut vocis elementa et principia videntur esse ex quibus componuntur voces omnes prime, sed non commune vox. Et dyagrammatum ea dicimus elementa quorum demonstraciones insunt in aliorum demonstrationibus aut omnium aut plurium. Amplius autem corporum qui dicunt esse plura elementa et qui unum ex quibus componuntur et constant principia dicunt, ut Empedocles ignem et aquam et que cum hiis, hec elementa dicit esse ex quibus sunt entia inexistentibus, sed non ut genera dicit ea eorum que sunt. Et adhuc autem et aliorum siquis velit naturam speculari, ut lectum ex quibus partibus est et quomodo compositus, tunc cognoscet enim eius naturam. Ex quibus quidem igitur rationibus non utique erunt principia genera existencia. Inquantum enim cognoscimus unumquodque per diffinitionem, principia autem diffinitionum sunt ipsa genera, necesse et diffinitorum principia genera esse. Et si est eorum que sunt accipere scientiam specierum scientiam accipere secundum quas dicuntur entia, specierum autem principia genera sunt. Videntur autem quidam dicentium elementa existencia unum aut ens aut magnum aut parvum ut generibus eis uti. At vero neque utrobique possibile dicere principia. Non enim ratio substantie est una. Differet vero que est per genera diffinitio et que ex quibus est inexistentibus. Adhuc autem si quam maxime principia genera sunt, utrum oportet existimare prima generum principia aut ultima predicata de individuis? Etenim hoc dubitationem habet. Nam si quidem universalia semper magis principia, palam quia suprema generum: hec namque dicuntur de omnibus. Tot igitur erunt entium principia quot genera prima; quare erunt ens et unum principia et substantie: hec namque de omnibus dicuntur existentibus. Non est autem possibile genus existencium unum esse neque unum neque ens. Nam necesse differentias cuiusque generis esse et unam esse quamlibet. Impossibile autem predicari aut species generis de propriis differentiis aut genus sine suis speciebus. Quare si est unum genus aut ens, nulla differentia neque unum neque ens erit. At vero si non genera, neque principia erunt, si principia genera. Amplius autem intermedia et coaccepta cum differentiis erunt genera usque ad individua. Aut hec quidem videntur, illa vero non videntur. Adhuc autem adhuc magis differentie principia quam genera usque ad individua aut hec quidem videntur. Si autem et hec principia, infinita ut si ita dicatur erunt principia aliter et si quis primum genus principium ponat. At vero et si magis principium species habet, est unum; unum autem indivisibile, indivisibile vero omne aut secundum quantitatem aut secundum speciem, prius autem quod secundum speciem, genera vero divisibilia in species, magis utique unum ultimum erit predicatum. Non enim est genus hominum aliquorum hominum. Amplius in quibus est prius et posterius, non est possibile in hiis aliquid esse preter hec; ut si prima dualitas numerorum est, dualitas non erit numerus aliquis preter species numerorum. Similiter autem nec figura aliqua preter species figurarum. Si autem non horum, vix aliorum erunt genera preter species; horum enim genera maxime esse videntur. Individuis non est hoc prius et hoc posterius. Amplius autem ubi hoc quidem melius hoc vero vilius, semper quod est melius prius; quare neque horum utique erit genus existens. Quid ergo magis videtur quam individuus esse principia

amen

esse principia generum aut quomodo oportet existimare principia summi dicere. Principium enim et causam oportet esse preter res quarum est principium et posse ab eis separatum esse; tale vero aliquid preter singularia esse propter quid utique aliquis suscipiet, nisi quia de omnibus universaliter predicatur? At vero si propter hoc, magis universalia ponenda sunt principia; quare prima principia erunt genera.

Est autem habita hiis dubitatio et omnium difficillima et considerandum maxime necessaria, de qua nunc exire nunc. Si enim non est aliquid preter singularia, singularia vero infinita, infinitorum quomodo contingit accipere scientiam? Nam inquantum unum aliquid et idem et inquantum universale aliquid existit, ita omnia cognoscimus. At vero si hoc necesse et oportet aliquid esse preter singularia, necesse utique erit genera esse preter singularia aut ultima aut prima; hoc autem quia impossibile nunc dubitavimus. Amplius si quam maxime est aliquid preter simul totum quando predicatur aliquid de materia, utrum si est aliquid preter omnia oportet esse aut preter quedam esse et preter quedam non esse aut preter nullum? Si quidem igitur non est preter singularia nichil, utique erit intelligibile, sed omnia sensibilia aut nullam scientiam nisi quis dixerit esse sensum scientiam. Amplius neque sempiternum aliquid neque immobile; nam sensibilia omnia corrumpuntur et in motu sunt. At vero si sempiternum nichil est, neque generationem esse possibile est. Necesse enim aliquid esse quod fit et ex quo fit et horum ultimum ingenitum, si stat et ex non ente fieri impossibile. Amplius autem cum sit generatio et motus finem esse est necesse. Motus enim nullus est infinitus, sed omnis est finis. Generari autem non possibile quod impossibile factum esse. Quod autem est generatum necesse est esse quando primum factum est. Amplius autem si materia est quia est ingenita, multo rationabilius est esse substantiam quam illa fit quandoque. Nam si neque hec est neque illa, nichil est omnino. Sed si hoc est impossibile necesse est aliquid esse preter synolon formam et speciem. Sed si hoc iterum quis ponit, dubitationem habet in quibus hoc ponet et in quibus non. Nam quod in omnibus non est possibile, palam. Non enim ponemus utique esse domum aliquam preter domos aliquas. Adhuc autem utrum substantia una sit omnium ut hominum? Sed inconveniens est. Non enim unum omnia quorum substantia una, sed multa et differentia. Et hoc irrationabile. Simul autem et quomodo fit materia horum singulum et est hoc synolon ambo hec? Amplius autem et de principiis et hoc dubitabit aliquis. Nam si specie sunt unum, nichil erit numero unum, nec ipsum unum et ens. Et scire quomodo erit si non aliquid erit unum in omnibus? At vero si numero unum et unumquodque principiorum, et non sicut in sensibilibus alia aliorum, ut huius sillabe specie eadem existente et principia specie eadem; etenim hec sunt numero diversa. Si autem non ita sed que sunt existencium principia numero sunt unum, non erit preter elementa nichil aliud. Nam numero unum et singulare dicere nichil differt. Sic enim dicimus singulare numero unum, universale vero quod in hiis est. Sicut igitur si que vocis numero essent elementa, necesse esset tot esse omnes litteras quot elementa, non existentibus eisdem duobus eiusdem neque pluribus. Non minor autem dubitatio modernis et prioribus relicta: utrum eadem sunt principia aut diversa corruptibilium aut incorruptibilium. Nam si eadem, quomodo hec quidem incorruptibilia illa vero corruptibilia et propter quam causam? Qui quidem igitur circa Hesiodum et omnes quicumque theologi solum ad ipsos persuasibile curaverunt, nos autem neglexerunt. Deos enim facientes principia et ex diis esse facta que non gustaverunt nectar